Illustri Viro

Dn̄o Constantino Hugenio S.P.D.

Anna Maria à Schurman.

Adeo hoc mense, Vir humanissime, affixa fui lecto ægrotantis, ut putabatur, letaliter amicæ, meiipsius dimidiæ, ut alibi spaciari mihi neq corpore, neq animo liberum fuerit; imo vix hisce oculis concessum fuerit lustrare illam, nunq. antea mihi visā regiā viā q. nobis nusq. non obviam exhibuisti; nedum ut flores illos pulcherrimos, quibus, non in remoto Parnasso, sed in illustri et semp. florido tuo Museio natis, artificiosum illud Solum conspersisti, colligere, atq ex illis serta conficere Auctori, ut par videbatur, mens, atq otiū adfuerit. Verum ne nunc quidē id, quāq. ab illa angustia liberari cœperim, a mea manu expectes velim; quandoquidē oīa tam ordinate, ac nitide concinnasti in hoc opere, ut nihil in eo turbandū, nihil addendū putem: cumq gemmeū potius q. herbaceum hoc δέαμα satis honorifice tua tempora coronet. Quamobrē tu, quæso, neq ἔρατα, neq χείρονα, sed Constanter βέλτιστα Ecclesiæ, Patriæ, tuisq oīb. impertiri perge. Et quamvis tardius agam, me tamen gratias tibi habuisse, et habere maximas, pro tam eximio munere crede; atq animū istum benevolum, quo illud mihi offerre dignatus es, mihi conserva; atq æternum Vale. Ultrajecti, prid. Non. 9.bris CIↃ.IↃC.LXVII.

© Koninklijke Bibliotheek
ms. 135 C 91
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/n0013